

sed debet sublimare ad Elixir nostrum perfectum
 & illa quæ sublimantur, duobus modis sublimantur,
 aut per se: quia spiritus sunt: aut cum alijs: quia in se
 incorporantur cum spiritibus. Mercurius enim cum sit
 spiritus, sublimatur per se: terra verò nostra, cum sit
 calx, sublimatur, nisi quia se incorporat cum Mercu-
 rio. Conuerte ergo calcem, & imbibere Mercurium, &
 decoque, donec fiat corpus vnum: & nō tædeat te hoc
 ipsum multoties iterare: quia corpus nisi cū Mercurio
 sit incorporatum, non ascendet sursum: ideo necesse
 est, vt in quantū poteris naturam suam subtilies, & cum
 Mercurio fortiter pistes, quousque fiat vnum: quia su-
 blimationem non facimus, nisi vt reducantur corpora
 ad subtilem materiam, scilicet, vt sint spiritus, & quòd
 corpus sit leue ad regendū in omnes res, siue in Solem
 siue in Lunam: & hanc sublimationem facimus, vt cor-
 pora redigamus in suam primam materiam scilicet in
 Mercurium & sulphur. Facimus ergo hanc sublimatio-
 nē tribus de causis: vna est, quòd corpus sit spiritus de
 subtili materia & natura: secunda est, quòd Mercurius
 se bene incorporet cum calce: tertia est, quòd totum
 sumat colorem album vel rubeum. Idcirco quando
 calx sublimatur ad Lunam, debet esse alba, & Mercu-
 rius similiter albus, & calx quando sublimatur ad So-
 lem, debet esse rubea, & Mercurius similiter rubeus igne
 calefactus, & debet esse puluis inceratus. Non mittas
 Mercurium rubeum ad album, nec album ad rubeum:
 sed pone vnamquamque speciem cum sua specie, & pone
 ad ignem accensum, & sublima totum, & non misceas
 illud quòd remanet deorsum cum illo quòd ascendit
 sursum: quoniam quòd in fundo remanet, reiterabis
 ad sublimandum per Mercurij incorporamentum, do-
 nec ascenderit totum, alioquin nō ponas ipsum in ma-
 gisterium. Alembicum, in quo sublimas Mercurium, sit
 vitreum, & cucurbita terræ vitreata, cuius os fundi sit
 amplum, quòd possit Mercurius ascendere liberius. A-
 lembicum verò cum cucurbita debet iungi, ita quòd

Mercurius non possit exire seu euapora-
 re ne pereat magiste-
 rium, &c.

MULTI-